

(quis enim prior dedit illi, ut reddatur, Rom. XI, 35?) *nemo hominum ex debito e apostulare queat, sed per Christum sibi pro merito fateri cogatur*: unde Apostolus Paulus duabus distinctis vicibus Ephesiis inculcat (cap. II, 5. & 8.) *χαρὶς ἐστὶ σωσμένοι*, *Gratiâ estis salvati*: quod ante Lutherum quoque cognitum fuit & creditum, ut sic vel tandem exspiret, quo veluti scommate excipimur, titulus *Fide solaviorum*: testatur enim *Martinus Crusius in Annal. Suevic, in Cæno. bio Robrbaldensi* ascriptos legi hosce versiculos

Ex Christi merito tantum salvamur abundè,

Ergo tuis meritis ne fidas optime frater,

*Vera enim humilitas merita propria ignorat*, scribit ipse *Bellarminus lib. V. de Justificat. c. 6 sub fin.* Confer inter alios etiam *B. Gerbardi Homil. III. Domin. XI. post Trinit.* Quemadmodum ergo

Ex solo Domini verbo sapientia vera,

In solo cælo vita est & patria vera,

Ita In solo Christi merito fiducia vera.

Ulteriùs prædicat immeritam Dei gratiam ex eo *Ambrosius*, quòd pastores ἀγεφυλῆντες *primi* ante omnes homines angelis intimantibus ortum Salvatoris cognoverint, & redemptionem sæculi priùs scire potuerint quàm principes, neque enim *regibus*, neque *judicibus*, sed *rusticanis hominibus* eandem Angelus annunciavit. Gratiam Christi priùs scivit *innocentia*, quàm *potestas excelsa*, veritatem priùs cognovit *simplex rusticatio*, quàm *superba dominatio*, & quod cognoverunt *opilioes*, cognoscere nequiverunt *principes*. Atque hunc Dei semper-morem egregijs verbis commendat *Paulus* in epistolâ priori ad Corinthios cap. I. “Non multi sapientes secundum carnem, non multi claro genere nati, neque qui clavum summæ rerum tenent, ad prædicanda Dei mysteria electi sunt, sed quos mundus hic stultos æstumat, quos imbecillos planè cernit atque ignobiles, ut sic sapientes hujus mundi infatuentur (*Jobi XII, 17. seqq.*), potentes exarmentur, illustres atque nobiles inhonestentur, & sic, phrasi Scripturæ sacræ *ταὶ μὴ ὄντα* fiant *ταὶ ὄντα*, &

&